Toletana Decimarum quoad Tenutas de Perobequez, & Vrtada.

28

Reu. Pater. DEcretanda omnino videtur Causæ expeditio quia quoad Tenutas de Perobequez, & Vrtada bonum Ius Monialius non potest esse magis conspicuum, quia Moniales exemptæ fuerunt vsque de anno 1378. à solutione Decimarum ex fructibus quos colligebant ex Tenuta de Perobequez tunc æstimata duodecim mille Merapetinis, *vt ex secundo Summario Additionali num.2. litt. M.* quæ exemptio fuit semper, & inconcussè obseruata, quia Moniales numquam persoluerunt Decimas ex fructibus quos ex dictisTenimentis colligebant vt deposuerunt testes, formiter examinati anno 1642., qui deposuerunt cum requisitis Immemorabilis *Summario Principali num.1.* quæ hodie magis confirmate remanent ex depositionibus testium dicto anno 1642. examinantorũ ex parteReuerendissimi Archiepiscopi Toletani, vt probaui in Memoriali prò expeditione, & Summario distributo cum eodem Memoriali, & plenè probant nostræ decisiones.

Pars Aduersa prò habendo aliquo prætextu extorquendi nouam Audientiam, nuper dimisit in actis integrum processum fabricatum anno 1642., ex quo prætendit probari quod septem Testes tunc ex parte Reuerendissimi Archiepiscopo examinati deponant, quod Archiepiscopus erat in quasi Possessione exigendi Decimas Reales, & mixtas ex singulis Prædijs, & Pascuis ad Monasterium spectantibus in dd. Tenutis de Perobequez, & Vrtada.

Hoc autem suppositum est à veritate alienum, quod vt facilius ostendatur, est præmittendum, quod Perobequez, & Vrtada sunt duo Oppida, quæ eximia habent Territoria, vt deposuerunt Testes ex parte Archiepiscopi super tertio Articulo, *vt ex Summario Partis hodierno num.9. litt. T.*, & passim in dicto Summario. Testes autem examinati anno 1642. ex parte Archiepiscopi solum deponunt, quod Archiepiscopus erat in quasi Possessione percipiendi Decimas in dd. Decimatorijs, & Territorijs de Perobequez, & Vrtada, sed nullus ex illis deponit, quod Archiepiscopus erat in quasi Possessione exigendi Decimas a Monialibus ex fructibus quos colligebant in suis Tenutis de Perobequer, & Vrtada, quinimo primus ex dd. Testibus *dicto Summario Partis num.9.* deponit nescire an Monasterium, & Moniales Decimas persoluerent.

Secundus vero Testis paritèr deponit de quasi Possessione Archiepiscopi exigendi Decimas ex particularibus, qui possidebant bona in

in dd. Territorijs Villarum de Perobequez, & Vrtada, & dicit ignorare neque habere nòtitiam quod Moniales Noſtri Monaſterij vnquam decimam perſoluerint quodque cum ipſe fuiſſet Conductor Decimarum in dd. Tenimentis, Decimam non exegerit, vt ex dicto *Summario Partis dicto num. 9. litt. Z.; & litt. BB.*

Tertius verò Teſtis de quo in *Summar. Partis dicto num. 9. litt. CC.* deponit de quaſi poſſeſſione Archiepiſcopi exigendi Decimas ex habitantibus in Villa de Perobequez, & nullus ex his tribus Teſtibus depoſuit Archiepiſcopum Decimas exegiſſe a Monialibus ex fructibus, quos Moniales colligebant ex ſuis Tenimentis, ſed omnes d.d. tres depoſuerunt non habuiſſe notitiam, quod Moniales ex ſupradictis fructibus Decimas ſoluebant, cæteri verò quatuor Teſtes licet depoſuerint de quaſi poſſeſſione Archiepiſcopi exigendi Decimas omnium fructuum, quæ colligebantur in d.d. Decimatorijs à ſingularibus perſonis, qui in illis Territorijs poſſidebant, vel colebant bona, & ſpecificè exceptuarunt Moniales noſtri Monaſterij, & depoſuerunt illas nunquam Decimas perſoluiſſe, vt plenè probaui in Memoriali pro expeditione, in quo tranſcripſi de verbo ad verbum d.d. quatuor Teſtium depoſitiones, & liquet ex *Summario Partis num. 9. litt. HH. litt. LL., & litt. QQ, & litt. SS.*, ita vt ex ſeptem Teſtibus examinatis anno 1642. ex parte Archiepiſcopi, tres depoſuerunt *non audiuiſſe, neque ſciuiſſe*, quod Moniales ſoluiſſent Decimas ex fructibus quos colligebant in Tenutis de Perobequez, & & Vrtada, alij verò quatuor depoſuerunt de quaſi poſſeſſione Archiepiſcopi in genere exigend. Decimas ab habitantibus locorum de Perobequez, & Vrtada, & quod numquam Archiepiſcopus exegerit Decimas ex fructibus quos ex dd. Territorijs Moniales exigebant, idcircò ratione huius noui Proceſſus exaduerſo producti ex quo magis confirmatum remanet bonum Ius noſtri Monaſterij, nequit ſub hoc prætextu pretendere nouam audientiam, quæ eo dumtaxat caſu eſſet concedenda quo aliqua probatio reſultaret fauore Archiepiſcopi, ſecùs verò quando magis confirmatum remanet bonum Ius noſtri Monaſterij.

Alius prætextus ſub quo prætendit Pars Aduerſa nouam Audientiam fundatur in eo, quod noſtræ fauorabiles Deciſionis ſunt inter ſe diſcordes, nam in illa Reuerendiſſimi Cerri prodijt fauore Monialium reſolutio ex ſola conſuetudine immemorabili, quodque ſecunda non ſolùm innitur in eadem conſuetudine, ſed etiam in titulo exemptionis Monialibus conceſſæ anno 1368. cum nihilominùs in dictus titulus in *Deciſ. edita 26. Iunij* 1722. fuerat confutatus, verum vanus eſt hic prætextus, nam licèt in *deciſione edita 26. Iunij* 1722. fauore Reuerendiſſimi Archiepiſcopi fuerit confutatus dictus titulus, confutatio tamen proceſſit ex quo dictus titulus ex noſtra parte pruductus in Signatura Iuſtitię, non erat in forma probanti, vt ex lectura dictæ Deciſionis apparet, quocirca ſi poſtmodùm

dùm

dùm Pars Aduersa ad faciendam rem gratam nostris Monialibus post publicatam primam fauorabilem Decisionem die 15. Ianuarij 1723. produxerit titulum formitèr compulsatum à suo originali reperto legali, & publico, vt testatur Iudex Compulsorialis ex aduersa Parte assumptus nostro secundo *Summario Additionali num.2. litt.T.* ibi = *Perilche ad istanza del medesimo Agente* (scilicèt Archiepiscopi) *estrassi vna copia di vn Instromento scritto di lettera antica in carta pecora, che parue essere sano, & intiero, e senza alcun vizio, e sospetto, e contiene la licenza, che si diede per la fondazione di detto Monastero &c.* vtiquè ex productione tituli facta ab Aduersario in forma publica, & legali magis confirmata remansit Iustitia Monialium, nequè ex hoc Decisiones dici possunt inter se discordes, sed nouissima fundata in alio validiori fundamento, stante productione tituli in forma publica ex aduerso facta.

Tertiò prætenditur noua audientia sub prætextu, quod ex processu integro compilato anno 1642. prætenditur collabescere consuetudo immemorabilis fauore nostri Monasterij ex quo 7. Testes examinati ex parte Archiepiscopi anno 1642. deposuerunt de quasi possessione Archiepiscopi exigendi Decimas ex omnibus fructibus, qui colligebantur in d.d. Tenutis de Perobequez, & Vrtada, quod quidem fundamentum, est adeò inane, vt sola lectura depositionum dictorum Testium destruit Partis prætensionem; nam dd.Testes deposuerunt de quasi possessione Archiepiscopi exigendi Decimas à particularibus, qui possidebant, vel colebant bona in Decimatorio de Perobequez, & Vrtada, & expressis verbis depununt, quod Archiepiscopus dictam possessionem non habebat aduersùs Moniales, quæ ex omnibus fructibus cuiusque speciei numquam Decimam persoluerunt, vt liquet ex verbis transcriptis in meo Memoriali pro expeditione, à §.Quartus Testis vsquè ad finem, vndè corruunt etiam illationes, quæ desumuntur ex supposita probatione possessionis fauore Archiepiscopi.

Minùs obstat, quod dd. Testes deposuerunt, quod Tenutæ, de quibus agitur, sint communes quoad pascua, quodque Archiepiscopus exegit Decimas ex animalibus, qui pascebant in dictis Tenutis, verùm quidquid sit an pascua sint communia, quià super hoc Testes non videntur probare, præsertim quià primus Testis Archiepiscopi deposuit quod Monasterium erbas dictorum Tenimentorum vendebat maiori oblatori, *vt ex nostro Summario num. primo litt.N.* ibi == *e che ora non pascola ne' detti Termini per esser state l'erbe date all'oblatore maggiore*, prout quoque 6. Testis, de quo in *nostro Summario num.primo litt.DD.* deposuit ipsum conduxisse 16. annis ante pascua à nostro Monasterio, ibi == *e specialmente le vidde pagare ad Andrea Rodriquez, che pascolò col suo bestiame nel detto Termine circa 16. anni fà per auer preso in affitto il pascolo di detto Termine dal Monastero sudetto*, sunt enim incompatibilia pascua

 esse

esse communia conuicinis locorum adiacentium, quodque Monasterium in suis Tenutis locat erbas ad pascendum, dicimus quod Archiepiscopus exegit Decimas ab Affictuarijs pascuorum Monasterij ad quos exemptio Monialium non extendebatur, sed nunquam exegit Decimas à Monialibus tempore quo proprias greges depascere faciebant in dictis Tenimentis, quæ denique subijciuntur quod nostrum Monasterium non probet quas Terras coluit in dictis Tenutis de Perobequez, & Vrtada, & in quibus pascuis suos greges de pascere faciebat, sed quod probet possessionem errabundam, vagam, saltuariam, & incertam, nam non solum authoritates in contrarium adductæ procedunt in terminis exemptionis realis non autem procedunt in terminis exemptionis personalis, in prima enim vera est propositio tantùm præscriptum, quantum possessum, non autem procedit in exemptione personali qualis est illa qua frui debet Monasterium, cum enim exemptio personalis non habet locum in casu quo Tenuta, seù pars illius locetur, quia exemptio personalis non extenditur ad colonos, & affictuarios indè fit, vt possessio exemptionis personalis esse non possit, nisi saltuaria cum ea Moniales gaudere non possunt, nisi quoties Tenutam, seù partem illius, proprijs expensis colunt. Dicimus etiam quod cessat omnis difficultas in præsenti hipothesi, dùm Aduersarij produxerunt titulum personalis exemptionis, & alium titulum quo Moniales declarantur exemptæ à solutione Decimarum ex fructibus quos colligerent ex tota Tenuta de Perobequez, vt firmat *nostra nouissima decisio §.finali*, prout quoque hodiè non est opus examinare an concurrant omnes circumstantiæ, quæ inducunt perfectam probationem immemorabilis, quia dum Pars aduersa produxerit titulum clarum exemptionis personalis nostri Monasterij, nobis sufficit docere quod ad formam dicti tituli Moniales semper fuerunt in quasi possessione personalis exemptionis, quia nobis sufficit docere effectuationem, & obseruantiam dicti tituli.

Agnoscit Pars aduersa efficaciam nostræ obseruantiæ, eamque distrugere satagit obseruantiam esse titulo diformem sub prætextu, quia concessio præsefert exemptionem realem bonorum taxatiuam in summa 25. mil. merapetinorum, obseruantia verò iuxtà quam Moniales probarunt fuisse exemptas quoad bona, quæ coluerunt proprijs expensis concernit exemptionem personalem, & proindè obseruatio est cum titulo incompatibilis, quandoquidem est falsum suppositum Partis, quod exemptio concessa anno 1368. sit realis, cum illa sit personalis, ad effectum enim cognoscendi an exemptio sit realis, vel personalis habemus magistralem *glossam in Clem. prima de Decim. verbo excollendas vers. sed nunquid*, ibi == *sed nunquid Coloni partiales, vel censuales priuilegiatorum simpliciter super Decimis non soluendis tenentur ad Decimas. puto ponderando verba priuilegiorum, quæ si eximunt Terras ipsorum ab hoc onere, coloni*

co-

colentes illos priuilegio participant, si verò eximunt personas, tunc licèt illi de sua parte non soluant, coloni non exempti de sua soluent = quam glossam communiter sequuntur Canonistæ; præsertim *Abb. in d. Clem. num. 10.*, ibi = *An Coloni Censuales, vel Partiarij priuileggiatorum simpliciter super Decimis non soluendis teneantur ad Decimas, vide bonam glossam hìc in verbo excolendas, quæ concludit ponderanda verba priuilegij, si enim priuilegium eximit eorum Terras ab hoc onere, tunc Coloni Colentes illas participant priuileggio, si verò eximit personas tunc licet illi de sua parte non soluant, Coloni tamen non exempti de sua soluent quod bene notat ad similia*, & comprobat ibidem *Zabarella num. 21.*, ibi = *Vigesimo secundo quæro an Coloni Partiarij, vel Censuales priuileggiatorum super Decimis non soluendis teneantur ad Decimas glossa eadem dicit ponderanda verba priuileggij an eximat Terras, vel Personas, primo casu non tenentur, secundò sic*, idem Paulus de Eleazar, qui pro hoc vltimo inducit quod cum priuilegium concessum sit personis obligatio Colonorum separata est ab obligatione priuilegiatorum, ideò vnius obligationis remotio non inducit liberationem alterius, sed remanent Coloni in propria obligatione idemque probant super *dicta Clem. Ancharan. num. 6., Imol. num. 14., Vitalin. num. 29., Barbos. num. 4.*, & plenè *Rota decis. 23. num. 5. par. 2. diuers.*

Videamus itaque an Archiepiscopus, & Capitulum d. anno 1369. exemerit bona Monialium, vel potius Moniales, & est indubitatum fuisse exemptas Moniales, quoad bona valoris 25. mil. merapetinorum, non autem fuisse exempta bona, ibi = *E che le Monache non paghino Decime di quelle possessioni, quali hanno da esser e della quantità, e valore di 25. mila marauidis di questa moneta vsuale, che ora corre = dicto Summario Num. 1. Litt. KK., & Litt. TT.*, & magis specifice liquet ex Instrumento rogato anno 1412., cum enim tunc temporis duo Canonici delegati fuerint ab Archiepiscopo, & Capitulo, vt æstimarent bona quæ tunc Monasterium possidebat an excederent valorem 25. mil. merapetinorum in Instrumento delegationis fuit eis commissum, vt viderent an bona excederent dictam summam, & tunc mandarent, vt Moniales soluerent decimas, ex fructibus bonorum quæ possident vltra dictam summam *secundo Summario Additionali Num. 2. Litt. C.* cumque delegati processerant ad extimationem præsertim totius Tenimenti de Peroquez fuit æstimata 12. mil. merapettinis *Summario d. Num. 2. Litt. M.*, & delegati declararunt quod attento, quod Moniales non possidebant bona quæ ad dictam summam ascenderent, proindè illas non teneri ex fructibus dictorum bonorum decimarum persoluere *Summario dicto Num. 2. Litt. O. in fine*, & magis specifice *Litt. P.*, ibi = *Et hac ratione dabant, & dederunt pro liberis, & exemptis dd. Moniales, & Monasterium à solutione Decimarum ex fructibus hæreditatum, & bonorum supradictorum, quæ nunc possident,*

dens, cum itaque mediante dicta concessione fuerunt declaratæ exemptæ Moniales, & non bona, vtique exemptio est personalis, & non realis, iuxta theoricam per supradictos Doctores ex traditam, & proindè si Moniales non soluerant Decimas ex fructibus dd. Tenutarum, quæ proprijs expensis excoluerunt, sed Decima soluta fuit à Colonis, Partiarijs, & Censualibus fit euidens, quod dicta concessio personalis exemptionis fuerit semper obseruata, & effectuata, indubitanter quia in dubio semper exemptio iudicanda est personalis, & non realis ratione minoris præiudicij quod infertur habenti Iuris assistentiam, vt benè probat *Rot. dicta decis. 23. nu. 7. par. 2. diuers.*, adeoùt ista obseruantia magis declarauit d. exemptionem fuisse personalem, & non realem hinc cessat obiectum exaduersò allegatum, quod scilicèt quemadmodum per non vsum ammittitur priuilegium Apostolicum, ita etiam per non vsum Moniales amiserunt exemptionem ipsis concessam ab Archiepiscopo, & Capitulo, nam hoc partis fundamentum corruit in supposito, nam Moniales semper gauisæ fuerunt dicta exemptione personali, vt deposuerunt Testes examinati tàm ex parte Archiepiscopi, quàm ex parte Monialium anno 1642., quàm anno 1702., vt probant nostræ Decisiones.

Subiungitur in contrario Restrictu, quod probatur inobseruantia dictæ concessionis tam ex parte Archiepiscopi, quàm ex parte Monialium, ex parte quidèm Archiepiscopi, ex quo statìm ac notitiam habuit, quod Monasterium Decimas soluere recusabat non solum Iudicium instituit, sed etiàm Testes examinauit, qui deposuerunt de quasi possessione Archiepiscopi, sed dicimus ex facto Archiepiscopi magìs remansisse confirmatam dictam exemptionem, dùm non solùm Testes ab ipso examinati deposuerunt de personali exemptione Monialium, sed etiàm Testes examinati ex parte Monialium, & magìs est, quod Vicarius Archiepiscopi sententiam fauore Monialium promulgauerit, de quo in *Summario nostro principali Num. 2., & hodierno Partis Summario Num. 9. litt. XX.*, sed etiam Archiepiscopus dictę sententiæ acquieuit, & passus fuit, vt Moniales continuarent in dicta quasi possessione personalis exemptionis, & sic ex facto tam patenti potiùs confirmata remansit nostrarum Monialium exemptio personalis.

Multò minùs ineffectuatio desumi potest ex facto extraiudiciali Monialium, ex quo in dicta exemptione adiecta fuerunt plura pacta, nempè quod Moniales iurare deberent obseruantiam pactorum, quod soluere deberent Decimas ex fructibus Bonorum, quæ excederent quantitatem 25. mil. merapetinorum, quodque soluere deberent quartam legatorum, quæ dicto Monasterio fierent prò sepultura in Ecclesia, quodque Moniales nunquàm dicto pacto obseruarunt, nàm si Pars prætendit Moniales dicta pacta non seruasse, tenetur id probare, & quatenùs facta fuisset dicta probatio non releuaret, quià nullum aliud ius habere posset, nisi compellendi Monia-

nia-

niales ad obseruantiam pactorum, cùm in dicta concessione nullu legatur pactum resolutiuum, iuxtà quod cessare deberet exemptio si dicta pacta non seruarentur. Si itaque Pars aduersa nequè probat pactorum ineffectuationem, & probata non releuarent, & Moniales satis, supèrque docent ipsas sempèr fuisse in quasi possessione passiuæ exemptionis, vtique cessat Partis fundamentum, proùt quoque cessat aliud fundamentum, quod Moniales nunquàm allegarunt hanc exemptionem concessam ab Archiepiscopo, & Capitulo anno 1368. & 1378., sed solùm allegarunt Priuilegium Apostolicum, seù Priuilegia concessa Ordini Patrum Dominicanorum, quodque dicta Priuilegia concessa Ordini Prædicatorum in Actis produxerunt.

Dicimus enim, quod allegatio Priuilegij Apostolici non est contraria dictæ concessioni, nàm cùm sempèr fuerint in quasi possessione personalis exemptionis, quam sempèr allegarunt, vtique ex tam diuturna obseruantia quemadmodùm præsumitur fuisse confirmatam per Sedem Apostolicam, ità potuerunt Moniales titulum Priuilegij Apostolici allegare, nèc est verum in facto, quod Moniales anno 1642., aut quod in præsenti Iudicio produxerunt Priuilegia supèr exemptione Decimarum per Sedem Apostolicam concessa Ordini Prædicatorum, nàm veritas est, quod nequè in Iudicio anni 1642., nequè in præsenti Iudicio Moniales aliquod Priuilegium Sedis Apostolicæ produxerint, siuè generale fauore Ordinis Dominicanorum, siuè speciale fauore Monasterij, sed allegarunt Priuilegium Apostolicum præsumptum ex Consuetudine immemorabili, & Pars aduersa ad faciendam rem gratam nostro Monasterio produxit titulum exemptionis personalis solemnitèr, & ex iustis causis, & iuxtà Canonicas Sanctiones concessi in limine fundationis per Archiepiscopum, & Capitulum, quod cùm fuerit per quatuor ferè Secula obseruatum, quemadmodùm præsumitur intercessisse Apostolicam confirmationem, ità Moniales allegare potuerunt d. exemptionem personalem illis competere ex Priuilegio Apostolico, quæ non eneruat efficaciam concessionis ab Aduersario compulsatæ, & productæ, cùm itaque ex Iuribus nouitèr exaduersò deductis magis confirmata remaneat iustitia nostrarum Decisionum, meritò speramus decernendam esse Causæ expeditionem, proùt supplicatur.

Quare &c.

V. A. Caualletti.

R. P. D.

FALCONERIO


Toletana Decimarum quoad Tentas de Perobequez, & Vrtada.

PRO


Ven., & Regio Monasterio Monialium clausarũ Ordinis S. Dominici Ciuitatis Toleti.

CONTRA

Illmos DD. Archiepiscopum, & Capitulum Toletanum, & alios Decimarum Comparticipes.



Responsio ad Restrictus Partis Aduersæ.



Typis Zinghi, & Monaldi 1724.